

DISPUTATIO THEOLOGICA  
Pro III. Art: Libri Concordiæ

D E

JUSTITIA FIDEI

QUAM

DEO Opt. Max. Benedicente,

PRÆSIDE

GEORGIO C. ALANO

In Regia Academia Aboënsi S. Theolog.

Professore Ordinario,

Publicè proponit

JONAS Laur: LACUSINIUS

CALMARIENSIS S. R. M.<sup>us</sup> Alumnus,

Ad diem 22. Febr. Annò 1652. horis matutinis

consuetis, in Auditorio Majori.

Lutherus in præfat. super Epist: ad Galat: inquit:

**I**N Corda meo iste unus regnat articulus, scilicet fides CHRISLI. Ex  
quos, per quem & in quem omnes mea diu noctuq; fluunt & resuunt  
Theologica cogitationes. Nec tamen comprehendisse me expe-  
rior de tanta altitudinis, latitudinis, profunditatis sapientia, nisi  
infirmas & pauperes quasdam primitias, & veluti fragmenta.

A B O Æ,

Imprimebat PETRUS Wald/ Acad. Typog: 1650.

*Spectatissimo ac Prudentissimo Viro,*

**DN. GOTFRIDO WOSTAMP/**

Metrop: Aboënsis Praefecto Militari optimè constituto,  
ibidem Civi ac Mercatori percelebri, ut Mœcenati suo  
ac Nutritio propensissimo, ita omni honore  
perpetim prosequendo.

*U T E T*

*Venerandis ac Humanissimis Viris ac Dominis*

**DN. HENRICO JOH: DN. ABRAHAMO JO-**

Pastori in Sängelmä me-  
ritissimo, ut studiorum  
promotori certissimo, ita  
Fautori suo suspiciendo,  
colendo.

**SEPHI,** Pastori in Turis-  
wiß pervigili, fautori  
suo ætatèm colendo.

*NEC NON  
Spectatissimo Viro,*

**DN. JOSEPHO S. Pa-** **DN. MICHAELI Æ-**  
stori in Paltvasalmi ma- **SCHILLI,** Tarvasthrosensi  
ximè indefesso, fautori **Consuli** benè constituto,  
& amico suo sinceritèr **nec non Territorij Särnä-**  
dilecto. **si Prætori** perindustrio ac tie  
suspicendo.

*J U K T A A C*


*Humanitate & Erudentiâ præstanti Iuveni.*

**DN. JONÆ ARVIDI Gochman/ Spectatissimi Viri**

**Dn. ELIÆ IOANNIS Apologista &c.** Amanuensi  
expeditissimo. Amico suo fraternè amand.

*Sacrum hunc & Theologicum Discursum perofficiose  
& amicè nuncupat*

**JONAS L. LACUSINIUS**  
Respondens.



D. O. M. A.

DISP: Pro III. ART: LIBRI CONCORDIÆ

D E

JUSTITIA FIDEI

Thesis I.

**Q**uam in asserenda ardui Articuli de Justificatione hominis peccatoris coram DEO, veritate momentum situm sit, plus satis omnium temporum certamina comprobatur dedisse constat, quæ monstrant hujus Articuli depravationem, quasi fœcundum quoddam multiplicium in præcipuis Religionis Capitibus corruptelarum seminarium extitisse. Vere n. de hoc articulo B. Lutherus & graviter pronunciavit: *Si unicus hic articulus sincerus permanserit, etiam Christiana Ecclesia sincera, concors, & sine omnibus sectis permanet. Sin verò corrumpitur, impossibile est, ut uni errori, aut fanatico spiritui rectè obviam iri possit.* Decl. Concord. p. 665. ex Tom. 5. Jen. p. 159.

II. Quam infensus verò fuerit huic doctrinæ Sathanas, ut nihil de antiquis hæreticis dicam, luculentum præbere testimonium potest, *Partim* papatus, in quo Christo redemptori suus honor imminutus, discrimen Legis & Evangelij sublatum, pavidiq; conscientijs firmum solatium prorsus denegatum fuit: *Partim* tristissimum illud dissidium intra Ecclesia Lutherana pome-  
sianæ concitatum, cujus author primarius fuit Andreas O-

Banders, in Academia Regiomontana Borussiae Theologiae Prof. ff. r. qui in publica Disputatione A. 1551. Erroneum hoc dogma proposuit: *Quod iustitia peccatoris coram DEO sit ipsa essentialis Dei iustitia, quae habitans in hominibus faciat eos iusta agere.* Atq; sic Christum tantummodò secundum divinam naturam esse nostram iustitiam statuit.

III. Sed cum huic errori se vehementer opponeret Fr. Stancarus, natione Italus, Osiandri istius Collega & Hebraeae linguae Professor, in Conflictu Disputationis ad alterum extremum est delapsus, asserens; Christum esse nostram iustitiam tantum secundum humanam naturam.

IV. Caterum nec sic quiescebat Diabolus, sed adhuc occasione Formulæ interim sive interreligionis, quosdam alioqui Confessioni Augustanae addictissimos sive insidiosa obcuritate decepit, sive periculorum impendentium formidine perterruit; ut contenderent, *particulam exclusivam* (Solâ fide) *non esse adversus Romanenses urgendam;* sed dicendum potius: *Nos præcipuè salvari fide; Charitatem, fidem, spem, aliasq; virtutes in nobis esse oportere, easq; ad salutem necessarias esse.* Quo pacto & hi ab *ἑσπέρῳ καὶ ἐν γυνόντων ὡν λόγῳ* periculosissimè defecerunt.

V. Ipsa proinde salus Ecclesiarum Reformatarum exigebat, ut hic articulus, in quo salutis nostræ cædo vertitur, à fœdis istis erroribus perpurgatus pristino orthodoxæ veritatis nitore restitueretur, id quod articulo hoc tertio Libri Concordiæ felicissimè fuit præstitum.

VI. Cum igitur vix sit ullus articulus Christianæ fidei, qui pluribus modis ab hostibus veritatis fuerit oppugnatus, cumq; B. Lutherus aliquoties in commentarijs suis super Genesin & Epist. ad Galatas prædixerit, hanc de gratuita fidei iustitia doctrinam, nostro tempore rursus obcuratam iri, inquit, *Hæc doctrina post mortem no-*

*stram*

firmam nusquam obscurabitur: quæ tamen est tanquam arx & præcipuum propugnaculum totius doctrinæ Christianæ, quo vel obscurato, vel adulterato, vel subverso, impossibile est puritatem doctrinæ in alijs locis retinere, ut graviter monet incomparabilis Theologus D. Mart. Chemnit. Tom. II. L. C. p. m. 216. nostrarum etiam partium esse ducimus, ut hunc articulum contra Sathanæ ministrorum *κυβερναι και τραυρογριας* muniamus, ejusdemq; tractatione paulò pleniorẽ suscepturi, Justificationis tum definitionem, tum genuinas causas strictim proponamus.

VII. A definitione ut ordiamur, eandem ex Libro Concordiæ de promptam, damus sequentem: *Justificatio est actio D E I, qua ex mera sua misericordia, intuitu meriti Christi, homini peccatori per fidem in eundem Christum peccata remittit, Justitiam Christi imputat, cumq; in gratiam recipit, & ad hæreditatem vite æternæ admittit.*

A qua non discrepat sequens Hassenrefferi Definitio: Justificatio est actio Dei, qua hominem peccatorem credentem in Christum, gratuita sua misericordia, per & propter meritum Christi, à peccatis eorumq; æternis supplicijs absolvit, & remissis peccatis per fidem illi perfectâ justitiã Salvatoris imputat.

VIII. Hæc ipsa ut juxta *ἀναλύσει*, expediatur, considerandum venit tum definitum, tum definitio speciatim sic dicta. Circa illud, Etymon, Homonymia & Synonymia. Circa hanc, Genus & differentia specifica.

IX. *Etymologia* justificationis est ex justitia & facere. Accipitur autem *justitia* vocabulum, cum hominibus tribuitur, in Sacro Codice, potissimum tripliciter 1. Pro justitia Legis eaq; vel perfectæ, qualis fuit justitia primorum parentum concreata; & erit Beatorum Consummata;

*Vel Imperfecta, Pharisaica & simulata, quæ in externa vērō  
satur obedientia. Talis erat justitia Phariseorum, Mat.  
5, 20. Et est quoq; hominum non renatorum, Phil: 3, 6.*

*X. II. Pro justitia Evangelij, quæ per Evangelium &  
in Sacramentis nobis offertur, & per fidem credentibus  
imputatur. Rom: 1, 16, 17. Unde & iustitia fidei, & iustitia  
imputata appellatur. Hanc justitiam Evangelicam B.  
Lutherus nominare solitus est *passivam*, quia per eam à  
Deo absolvimur, nihil operantes: Legalem verò *Acti-  
vum*, quia per hanc bene agere studemus. Semper a.  
monuit, ut ab Activa ad passivam oculos flectamus.  
Nam hæc justitia divitiis gratiæ Christi agnoscit, &  
conscientijs perturbatis firmam suppeditat consolatio-  
nem; Quæq; hujus est loci.*

*XI. III. Pro justitia novæ obedientiæ, quæ à renatis seu  
justicatis fit per fidem secundum legem, Luc: 1, 75. Estq;  
tantum inchoata in hac vita, multisq; laborat infirmitati-  
bus, Esa: 64, 6. Hæc imputata illa fidei justitia coram ho-  
minibus declaratur, Apoc: 22, 11, Mat: 5, 16, Jac: 2, 18, 20, 21.*

*XII. Homonymia vocabuli justificationis est, quod jus-  
tificare 1. notet idem, ac actum judicij Exercere, ut, 2  
Sam: 15, 4. 2. Est justitiam alicujus declarare, ostende-  
dere, agnoscere, & agnitam prædicare, celebrare. Psal:  
51, 6. *Ut justificeris in sermonibus tuis.* Luc: 7, 29. *Populus &  
publicani justificarunt DEum baptizati baptismo Iohannis.* Jac:  
2, 21. *Abraham pater ille noster, nonne ex operibus est justifica-  
tus, sz: justus coram hominibus declaratus est.* 3. Est se-  
aut alios ad justitiam, justitiæq; incrementa instituere,  
seu ad justitiam docendo promovere. *Iustus justifico-  
tur adhuc,* Apoc: 22, 11. *Iustificantes multos splendebunt ut  
stellæ in sempiterna secula.* Dan: 12, 3. 4. Famam Justo-  
tiæ captare & laudem justitiæ sibi arrogare. Sic de Pha-  
risæis*

risais Christo ait Luc: 16, 15. Vos estis qui justificatis vos ipsos  
in hominum conspectu: Deus autem novit corda vestra. 5.

Idem valet, quod liberare; Rom: 6, 7. 6. Justificare si-  
gnificat acculatum & injustum ab objecto crimine &  
peccatis absolvere, peccatorem jam jam puniendam ju-  
stum pronuciare, eidemq; testimonium & prae-  
mia quae innocentibus debentur, tribuere. Forensis hae  
significatio luculenter apparet ex Gen: 44, 16. Exod: 23,  
7. Dent: 25, 1. Job: 27, 5. Prov: 17, 15. Esa: 5, 23. C. 50, 8.  
Matth: 12, 37. Rom: 2, 13. C. 3, 20.

XIII. Quod autem hoc vocabulum in articulo justifi-  
cationis forensi significationem obtineat, & quidem  
ita, ut justificari coram DEO nihil sit aliud quam peccatorem  
coram tribunali divino constitutum & ad thronum gratiae con-  
fugientem, à peccatis & aeternis peccatorum supplicijs absolvi, a-  
deoq; justum pronuciari, probari potest.

XIV. 1. A descriptione Bibli. a. Sic enim justificatio  
nostra describitur in S. r. quod sit actus judicialis, Job: 9,  
3. Psal: 143, 2. in quo est delictum, Matt: 6, 12. debi-  
tum, Matt: 18, 24. Reus (homo peccator) Rom: 3, 19. Ac-  
cusator (lex) Joh: 5, 45. Chirographum, ad Coll: 2, 14. Et  
testis (conscientia) Rom: 2, 15. Inò Rom: 3, processus iste  
Judicialis prolixè describitur. Homo sinitur coram  
judicio Dei, accusatur à lege propter peccata, & tandem  
justificari dicitur, non per justitiam inhoerentem aut in-  
fultam, sed per gratiam Dei & redemptionem quae est in  
CHRISTO JESU v. 24.

XV. 2. Ab Oppositis. Justificationi opponitur con-  
demnatio. Rom: 5, 16. C. 8, 33, 34. At condemnare est a-  
liquem nocentem declarare, & poenis addicere. Ergò  
justificare erit aliquem innocentem pronuciare, & à  
reatu absolvere. Nam contrariorum contraria est ratio.  
Alias violaretur lex oppositionis'. XVI.

XVI. 3. *A Synonymis & phrasibus Equipollentibus*; quæ omnes sunt judiciales, ut, non vocari in iudicium, Psal: 143, 2. non iudicari aut condemnari, Joh: 3, 17. 18. C. 50. 24. peccata remittere, Rom: 3, 25. Condonare, Coll: 20. 13. tegere & non imputare peccata, Rom: 4, 7. 8. sal-  
vatum iri Act: 15, 11.

XVII. 4. *Eandem significationem maximè confir-  
mat Exemplum publicani*, Luc: 18, 13. 14. Is enim multo-  
rum peccatorum à propria sua conscientia accusabatur.  
Petebat autem misericordiam DEI, & mox dicitur de-  
scendisse in domum suam justificatus, id est, per miseri-  
cordiam Dei à peccatis suis absolutus.

XVIII. Accipitur igitur vocabulum justificandi, in  
hoc negotio non *ἐκ τῶν* pro inhxerente iustitiæ habitu,  
seu infulsis sanctitatis qualitatibus: nec *ἐκ τῶν ἰσχυρῶν*, ita  
ut justificare significet, actiones justas operari: nec *ἐκ τῶν  
ἰσχυρῶν* pro declarare seu manifestare fidem justifican-  
tem; sed *παθητῶν* tantum, ut idem sit justificari, quod  
justum censerì, pronunciarì, seu à reatu absolvi.

XIX. *Synonyma justificationis sunt* 1. *Salvatio*, Eph: 3,  
8. Tit: 3, 5. Act: 15, 11. 2. *Cum Deo reconciliatio*, Rom:  
5, 10. 3. *In filium Dei adoptio*, ad Eph: 1, 5. 4. *Regenera-  
tio*, quando solam remissionem peccatorum & adoptio-  
nè in Filios Dei significat; quo sensu in Apologia Con-  
fessionis sæpè ponitur, & sic à renovatione distinguitur  
Tit: 3, 5. Quin & 5. *Virificationis* vocabulum inter-  
dum ita accipitur, ut remissionem peccatorum notet.

XX. Hic diligentissimè observandum, neq; præce-  
dentem contritionem, neq; sequentem renovationem  
ad articulum & negotium iustitiæ fidei pertinere. Non  
quidem hoc sentimus, quod liceat nobis absq; pœnitentia  
& vitæ emendatione peccatis frenos laxare, in ijsq;



perseverare & pergere. Oportet enim præcedere justificationem, veram & non simulatam contritionem; Nec tamen omnia illa, quæ ad veram conversionem requiruntur, etiam ad justificationem pertinent. Quare vera & salvans fides, gratiam Dei & meritum Christi sibi applicans, in ijs non est, qui contritione carent, & propolitum in peccatis pergendi & perseverandi habent. Vera enim contritio præcedit: Et fides justificans in ijs est, qui verè & non fidei pœnitentiam agunt.

XXI. Sed & renovatio sive charitas fructus sive effectus est, qui veram fidem certissime & necessariò sequitur. Qui enim non diligit, de eo rectè judicari potest, quod non sit justificatus, sed adhuc in morte detineatur, aut rursus justitiam fidei auferit, ut Johannes testatur, 1. Joh: 3:14. Et quando Paulus affirmat, nos Fide justificari, sine operibus, hoc ipso docet neq; præcedentem contritionem, neq; sequentia bona opera ad articulum aut negotium justitiæ fidei pertinere. Bona enim opera non præcedunt justificationem, sed eam demum sequuntur. Declar. Lib. Concord. p. 662, 669.

XXII. Genus in definitione est actio, quia S. Paulus verbis utitur activis, dicit DEum justificare impium, homines salvare, & peccata remittere.

XXIII. Differentia detumpta est ex causis, quarum I. Efficiens principalis est DEus Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Nam ejus est hominem reum absolvere, cujus justitia reus constituitur: Ejus justum censere, cujus voluntas justitiæ regula certissima est. Ejus deniq; judicium vitæ vel mortis ferre, qui natura; jure & officio supremus Judex est. Testis nobis locupletissimus est Sacer Codex, Rom: 8, 33. Quis est, qui condemnat DEus est qui justificat. 2. Cor: 5, 19. Deus erat in CHR isto,

mundum reconcilians sibi, non imputando eis *αγαπη*  
*αρωμενη*. Confer. Esa: 43, 25. Gal: 3, 8. Tribuitur au-  
tem justificatio DEO Patri, Rom: 8, 33. Filio, Esa: 53, 11.  
Spiritu Sancto, 1. Cor: 6, 11. Juxta illud: Opera Trini-  
tatis ad extra sunt indivisa, servato tamen ordine & di-  
scrimine personarum.

**XXIV.** 1. *Causa impulsiva interna* (nam externam  
*αγαπη αρωμενη* omittimus) est *gratia Dei*, quæ hic significat,  
non receptionem gratuitorum Spiritus Sancti don-  
orum, quæ *gratia passiva* nominatur; sed gratuitum  
DEi favorem & meram misericordiam, qua visceribus  
miserationum motus redemptorem Christum nobis de-  
dit & credentes in Christum complectitur, quæ q̄, *gratia*  
*activa* vocatur.

**XXV.** Hanc gratiæ significationē hic locum habere  
patet. 1. *Ex oppositione gratiæ & operum*. Gratia estis seta-  
vati per fidem (& hoc non est ex vobis, sed Dei donum  
est) non ex operibus, ne quis gloriatur, Eph: 2, 8, 9. Quod  
si per gratiam, jam non ex operibus, alioquin gratia jam  
non est gratia: Sin ex operibus, jam non est gratia, al-  
liquin opus jam non est opus, Rom: 11, 6. Si ergo gra-  
tia opponitur qualitatibus infusis & bonis operibus, non  
denotat bonum opus. Nam oppositorum opposita  
est significatio.

**XXVI.** 2. *A permutatione S:æ*. Quia justificatio &  
salvatio in Sacra S:æ mox gratiæ, mox verò misericor-  
diæ & charitati Dei tribuitur. Eph: 2, 4, 8. Tit: 3, 4, 5. Ioh: 3,  
16. quæ vocum permutatio satis arguit istas voces esse  
æquipollentes.

**XXVII.** 3. *Ab appositione particulae gratiæ*. Rom: 3, 24.  
*Iustificamur gratiæ per illius gratiam*; quæ particula ab A-  
postolo addita, non opponitur solutioni pretij à Christo

præstiti, aut ejus merito & satisfactioni, sed unice nostro  
 merito & nostris operibus. Nam DEUS ex mera & be-  
 nignissima misericordia nos gratis, id est, sine ullo à nos-  
 bis interposito pretio, aut sine ullo nostro merito per  
 CHRISTUM justificat. Et sicut cum David Christi typus  
 Psal: 69, 5, conqueritur: *Oderunt me gratis*; tria notan-  
 tur 1. Quod David non fuerit promeritus illud odium.  
 2. Quod nec ulla, ne quidem levissima extiterit causa,  
 quæ hostes ejus ad odium commovere potuisset. 3.  
 Quod cōtrarium potius amorem & favorem promerere  
 erit. Sic Paulus gratis nos justificari asserens, tria vo-  
 luit indicare: 1. Quod in nobis nullum sit meritum &  
 pretium justificationis & salutis. 2. Quod ne minu-  
 tissima quidem ratiuncula in nobis inveniatur, quæ De-  
 um moverit ad impertiendam justitiam. 3. Quod  
 pœnas potius & æternam mortem simus promeriti.  
 Juxta illud Augustini Sermone 15. de verbis Apostoli,  
*Prorsus gratis das, gratis salvas, quia nihil invenis,  
 unde salves, & multum invenis, unde damnes.* Et  
 alibi: *Gratia non est gratia ullo modo, quæ non est  
 gratuita omni modo.*

**XXVIII. III. Causa impulsiva Externa & Me-**  
*ritoria justificationis nostræ ER CHRISTUS* Θεὸς Ἰησοῦς Χριστός.  
 Cum enim DEUS ita sit misericors, ut etiam sit iustus  
 justus, & justitia ejus per peccatum fuerit læsa. Hinc  
 ne justitia Dei veniret in discrimen, oportuit perfectam  
 pro peccatis intercedere satisfactionem, sine qua non  
 potuit genus humanum peccato inquinatum in gratiam  
 recipi. Illa verò à nudo homine præstari non potuit.  
 ideo præstita est à CHRISTO Θεὸς Ἰησοῦς Χριστός. Damnavit  
 totum genus humanum DEUS propter peccatum, quia

justus est: idem recipit in gratiam propter CHRISTUM, quis misericors est. Hoc sensu extra Christum nulla salus, nulla gratia.

**XXIX.** CHRISTUM autem pro peccatis nostris satisfacisse, multis S.<sup>ra</sup> testimonijs confirmari potest: *Iustificamur, inquit Paulus, gratia per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo, quem proposuit DEUS ἱλασθῆναι, id est, propitiatorium sive placamentum, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae suae per remissionem praeteritorum peccatorum, Rom: 3, 24.* Non ergo est Metaphorica redemptio, quia sanguis Christi effusus est placamentum, & cedit nobis in placationem coram Deo. Indignatio E. praecessit, quae morte placari debuit. Hinc dicitur, *Empti pretio magno 1 Cor: 6, 20. non auro & argento, sed precioso sanguine Christi 1. Pet: 1, 18, 19.* Is enim dedit semetipsum ἀντιτύπον pro omnibus 1. Tim: 2, 5. Confer Heb: 9, 12, 15. 2. Pet: 2, 1. Christus itaq; totus DEUS & homo est nostra iustitia, 1. Cor: 1, 30. Est nostror mediator, 1. Tim: 2, 5. Solus homo non potuit; sola divinitas non debuit pro peccatis totius mundi satisfacere; Ideo filium Dei incarnari & hominem fieri oportuit.

**XXX.** Hic noster Salvator non tantum peccata nostra in se recepit, sed & peccatorum poenas in se derivari est passus, ut DEO Patri pro nobis satisfaceret, *Esa: 53, 4, 5, 6. 2. Cor: 5, 21. ad Gal: 3, 13. Promeruit verò nobis iustitiam sola sua tota & perfectissima obedientia, non solum passiva & mortis, quae obediens factus est usq; ad mortem crucis, Phil: 2, 8. Sed & activa seu vitae, quae legi sanctissimae sua vita satisfecit, Psal: 40, 8, 9. ad Gal: 4, 4, 5. Rom: 5, 19. C. 8, 3.*

**XXXI.** Duo enim erant mala; unum culpe, quod homo iniuste commiserat: Alterum poenae, quod homo iuste perpeiusus erat. Utrumq; in Christo suum habuit

remedium. *Expiaa fuit culpa per obedientiam activam.*  
*Sublata pena per passivam.*

**XXXII.** Hic observandum, Christum tripliciter  
Justificationis nostræ causam esse & nuncupari posse. 1.  
*Merito*, quia gratiam patris nobis promeruit, illiq; nos  
vicissim reconciliavit. Atq; sic causa impellens est re-  
spectu Patris, quem suo merito movet ad justificandum.  
2. *Efficaciâ*. Non enim ob id præstitum est Christi me-  
ritum, ut nostræ vel aliorum pro nobis satisfactiones fi-  
ant meritorie; nam ipsius obedientia perfectissima est  
etiam sufficientissima, nullo egens additamento & ap-  
pendice nostrorum operum. Ideo in Relatione ad  
justitiam, ob efficaciam justitiæ acquisitæ, causæ efficiens  
nuncupari tàm potest, tàm debet. 3. *Applicatione*.  
Christus enim non modò justitiam acquisivit, sed iasu-  
per acquisitam applicat. Et ob hanc meriti sui applica-  
tionem sive imputationem causæ Formalis est, de qua  
mox acturi sumus.

**XXXIII.** Declarari hoc potest similitudine à soluti-  
one alieni debiti petita. Quatenus ea respectu sol-  
ventis, non debitoris æstimator, causa efficiens est, ob  
quam debitor absolvitur, & conveniri nequit; quate-  
nus verò solutio ista aliena debitoris, ac si esset propria,  
imputatur, hoc sensu causa Formalis est, quæ ipsum re-  
solvæ largitur justificationi & absolutioni forensi.

**XXXIV.** *IV. Causa materialis* proprie loquendo nul-  
la datur. Nam justificatio est actio, ideoq; materiam  
ex qua nullam habet: *Materia* verò circa quam, sive ob-  
jectum est homo peccator justificandus, juxta illud Rom:  
4. v. 5. *DEus justificat impium*. Confer v. 7. & 8. Unde  
contra Pontificios argumentamur. Homo impius &  
peccator suis operibus gratiam DEI promereri & cans-

dem prevenire nullatenus potest. At ij qui justificantur  
sunt homines impij & peccatores. E.

XXXV. *V. Causa Formalis* justificationis exprimitur  
imputatione. Hic notandum in Scriptura Sacra duas  
imputationis species recenseris, inprimis Rom: 4. v. 4. & 5.  
*Unam secundum debitum; Alteram secundum gratiam.* Illa  
respicit Opera & legem, hæc fidem & Evangelium. Illa  
realis, hæc rationalis dici potest. Illius fundamentum  
extat in operante, cui fit imputatio, id quod Apostolus  
sic effatur Rom: 4. 4. *Ei qui operatur, merces imputatur eam  
debito.* Confer. v. 8. 2 Sam: 19, 20. Rom: 5, 13. 1. Tim:  
4, 16. Hujus fundamentum non reperitur in eo, cui fit  
imputatio, sed in gratia & misericordia Dei justificantis  
impium. Paulus ita effert: *Ei verò, qui non operatur,  
sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua ad  
justitiam.* Rom: 4, 5. Atq; tali gratuita imputatione ju-  
stitia Christi nobis imputatur. Imò hic contrarium  
reperitur fundamentum, si DEUS vellet in judicium in-  
trare rigidum, nempe peccatum, quod tegendum est,  
ne imputetur.

XXXVI. Ex quo patet, duas in justificatione concurrere  
se imputationis modos, unum *συνεχόμενον* sive privativum, quem  
alij vocant *imputationem negatam*. Estq; hic loci nihil ali-  
ud, quàm *Peccatorum nobis inhaerentium NON IMPUTA-  
TIO* sive remissio, Atq; sic quod in homine datur, & im-  
putari deberet, non imputatur. Consistit hæc tum in  
oblivione & non annotatione peccati, tum in dimissio-  
ne reatus. Alterum *συνεχόμενον* positivum, quem nuncupant  
*imputationem affirmatam*, Estq; *justitia Christi nobis non in-  
haerentis imputatio & applicatio*. Atq; sic unicum merito-  
rum, perfectissima obedientia & plenissima satisfactio  
Christi, que in nobis non existunt, nobis imputantur

ac tribuuntur, ac si in nobis existerent, ipsiq; eam justitiam praestitisset, ac pro peccatis satisfecisset.

**XXXVII.** Qui imputationis modi, licet docendi gratia, duae quasi partes vocentur, à se invicem tamen non possunt separari, & unicam justificationis causam formalem constituunt. Ideò Apostolus Rom: 4. v. 6. Probaturus justificationem fieri per imputationem justitiae sine operibus, v. 7. adfert testimonium Davidis ex Psal: 32. v. 1. In quo tantum remissionis sive non imputationis peccatorum fit mentio.

**XXXVIII.** Ex hisce fundamentis contra Pontificios multa depromi possent argumenta, quod videlicet propter meritum Christi fide apprehensum, non verò propter virtutes nobis infusas & inherentes in severissimo Dei judicio à poenis peccatorum nostrorum absolvamur, & in gratiam ad vitam aeternam acceptemur, seu uno verbo, justificemur: Nos ex magno numero sequentia producemus.

**XXXIX.** I.<sup>m</sup> Si tota hominis justificatio consistit in imputatione fidei ad justitiam, in remissione iniquitatis, in non imputatione peccati, sequitur non opera & virtutes inherentes, sed imputationem justitiae Christi esse formam justificationis. Atq; prius est verum, ut patet ex Rom: 4. v. 16. 7. 14. Rom: 3. 25. 2. Cor: 5. v. 19. 21. Act: 13. 38. 39. Luc: 18. 13. 14. Ergò & posterius.

**XL.** II.<sup>m</sup> Quae Justitia à DEO ipso nobis datur, ut per eam justificemur, illa est formalis causa justificationis. Atqui justitia Christi, quam sua obedientia & passione nobis acquisivit, ab ipso DEO nobis datur, ut

per

per eam justificemur. Patet id ex Jer: 23, 6. 1. Cor. 13  
30. 2. Cor: 5. vlt. Rom: 5, 19. Cap: 10, v. 3. & 4.  
Act: 13, 11. Ergò.

**XLI.** III. Quicumq; justificantur gratis ex gratiâ,  
illi non justificantur ex suis operibus. Nam in S.<sup>ca</sup> per-  
petua est oppositio inter gratiam & opera. Sed omnes  
qui justificantur, justificantur gratis per gratiam Dei. Rom: 3,  
24. C: 4, 16. Eph: 2, 8. Tit: 3, 7. Ergò.

**XLII.** IV. Si Justitia Dei, qua peccator ab-  
solvitur, manifestata est absq; lege, & fieri non po-  
test, ut ex operibus legis ulla caro justificetur, sed justiti-  
a datur per fidem JESU CHRISTI ijs, qui credunt,  
sequitur non opera, non virtutes nostras, sed solam justiti-  
am CHRISTI per fidem applicatam, nos justificare.  
At prius est verum ex Rom: 3, 20. & seq. C. 4, 2. Gal:  
2, 16. Tit: 3, 5. Phil: 3, v. 9. Ergò & posterius. Con-  
cludimus igitur cum Aug. Confess: hominem non posse  
justificari coram DEO proprijs viribus, meritis, aut  
operibus, sed gratis propter fidem per CHRISTUM.  
Hanc fidem imputat DEUS pro justitia coram ipso  
Rom: 3. & 4.

**XLIII.** VI. Causa instrumentalis justificatio-  
nis Ex parte DEI sunt verbum Dei & Sacramen-  
ta, de quibus alias: Ex parte nostri est FIDES,  
quæ ceu manus mendicans remissionem peccato-  
rum & imputationem justitiæ Christi apprehen-  
dit & sibi applicat. Hæc fides cum ad justiti-  
am imputari dicitur, non accipitur absolute prout  
virtus quædam & op<sup>o</sup> bonum est: Sed relate prout  
instru-



instrumentum & manus spiritualis est, meritum Christi recipiens, apprehendens & sibi applicans. *Fides enim, ut habet Declaratio Libri Concordiæ, non propterea justificat, quod ipsa tam bonum opus, tamq̃ præclara virtus sit, sed quia in promissione Evangelij meritum CHRisti apprehendit & amplectitur. Illud enim per fidem nobis applicari debet, si eo ipso merito justificari velimus.* Pag. 666.

**XLIV.** Perindè itaq; est, sive dicatur; *fidem nobis imputari ad justitiam;* sive, *justitiam nobis imputari per fidem.* Utroiq; enim nihil aliud significatur, quam quod justissimi & reputemur coram DEO, nullam ob causam aliam, nisi ob meritum sive satisfactionem Christi, quam fide apprehendimus & nobis propriam facimus.

**XLV.** Sumitur autem hic vocabulum fidei non 1. *Pro fide activa, quæ fidelitatem animiq; constantiam in servandis promissis notat, & fides veracitatis dicitur; nec 2. Pro fide passiva simpliciter, quæ dicenti vel promittenti constantè assensum præbet, & fides credulitatis à Flacio appellatur, part. 1. clavis p, 312. nec 3. Pro objecto fidei, sive doctrina cœlesti divinitus revelata, ut Gal: 1, 23. Item C. 69 80. Tit: 1, 13. Sed 4. denotat præter assensum ex notitia ortum, ipsam fiduciam & confidentiam, ubi sic alicui assentimur, ut simul nos totos ipsi concedamus, & omnibus cogitationibus in eum confidamus. Fides itaq; verè justificans est divina gratia in Evangelio propter Christum promissa, fiducialis apprehensio.*

**XLVI.** Hujus fidei justificantis requisita & actus tres numerari solent 1. *Notitia, quâ scimus ea, quæ tùm ad DEI, tùm ad nostri cognitionem salutarem spectant,* Joh: 17, 3. Esa: 53, 11. Luc: 1, 77. Job: 19, 25. 2. *Tim: 1,*

12. Joh: 6. 69. 2. *iudicium approbans & assensus firmus*, quo credimus DEO ejusq; verbo tanquam veritati primæ & infallibili. Hujus respectu fides dicitur *ἔλεγχος* & *μὴ βλεπέμενον*, *argumentum seu certa persuasio de rebus etiam nondum apparentibus* Hebr: 11. Idem nec auditus sermo prodest, nisi fide contemperetur, Hebr: 4. 2. 3. *Fiducia*, qua firmiter nobis persuasum habemus, neq; mortem, neq; vitam, neq; ullam aliam rem posse nos separare à dilectione DEI, quæ est in CHRISTO JESU Rom: 8. 38. 39. Hic primarius est actus fidei, qui dicitur *ἰσχυρὸς* confidentia, Joh: 16. 7. ult. *πληροφόρησις* sive firma persuasio, Rom: 4. 7. 21.

XLVII. Hæc fiducia promissiones gratiæ firmiter sibi applicat. *Fiducia enim est Christum Salvatorem quasi vere*, Esa: 55. 6. Amos 3. 4. *Eundem avidè appetere*. Et quasi anhelare ad ipsum, Psal: 42. 2. 3. Esa: 26. 8. 9. *ad exoptatum redemptorem venire*, Matt: 11. 28. Joh: 6. 35. Hebr: 4. 16. *Eundem cum sua justitia apprehendere*, Rom: 9. 7. 30. *Recipere*, Joh: 1. 12. *Induere*, Gal: 3. 26. 27. *Eundem omnibus modis amplecti*, 1. Tim: 1. 15. *merita ipsius sibi appropriare*, ad Gal: 2. 20. Phil: 1. 21. *Pleno conatu cordis in eam ferri & in ijs acquiescere*, Rom: 4. 21. Hebr: 10. 21. quæq; ideireo *ἰσχυρὸς αἰς rerum sperandarum* vocatur, Hebr: 11. 1. Nam est firma mentis subsistentia & confidentia, quæ animus immotam concipit fiduciam, inq; ea suaviter acquiescit, firmiter subsistit & persistit. *Ita accipitur vocabulum Hypostaseos*, Hebr: 3. 14. ut patet ex 7. 6. 2. Cor: 9. 7. 4. Cap. 11. 7. 17.

XLVIII. Hinc dicimur *promissionem spiritus accipere per fidem*, Gal: 3. 14. *Jubemur accedere cum fiducia ad thronum gratiæ, ut accipiamus misericordiam*, Hebr: 4. 16. & ad Coll: 2. 6. ait Apostolus: *παρέλαβες*, *recepisti sive suscepisti* *Ἔ-*

*sum*

*SUM CHRISTUM Dominum.* Fides igitur accipit, recipit, apprehendit, applicat, amplectitur CHRISTUM, & in Christo gratiam DEI, remissionem peccatorum, justitiam & salutem æternam. Atq; ideò est manus spiritualis oblata CHRISTI beneficia in Evangelio apprehendens.

**XLIX.** Circa hunc autem effectum fidei justificantis primarium, duo cum primis accuratè notanda sunt.  
1. Quomodo intelligenda sit phrasis: *Sola fides justificat.*  
2. Cur particulam exclusivam hic tantopere urgeamus.

**L.** *Circa prius tenendum* 1. Cum dicimus, solam fidem justificare, particulam exclusivam non determinare subjectum, hoc sensu: quasi fides justificans sit sola, & à charitate reliquisq; virtutibus separata, cum contra, fides vera sit viva & efficax per charitatem; Sed innuit non opera, sed solam fidem esse instrumentum illud, quo Christi justitiam apprehendimus hoc sensu: quod sola CHRISTI justitia, cujus apprehendendæ vis soli fidei, non operibus competit, coram DEO simus justi.

**LI.** 2. Quod *particula exclusiva non excludant hic gratiam patris, nec meritum CHRISTI, nec verbum & Sacramenta;* Sed excludunt (1.) & remonent opera omnia, etiam in medio cursu pietatis præstita, ab articulo justificationis coram DEO, ne huic negotio justificationis, quasi ad eam rem necessaria, pertinentia & requisita, interantur & immisceantur: Excludunt illa non ut non adsint fidei, sed ut non imputentur ad salutem. Remonent bona opera, non quoad actum præsentis in justificatis, Sed quoad communionem efficientis in justificandis peccatoribus. Negamus bona opera ullam habere vim justificandi sive totalem, sive partialem; negamus

ea fidei cooperari in actu justificationis. Exclusa est enim gloriatio, & omnis fiducia operum. Manet ergo quod Lutherus rectè dixit: *Bene conveniunt & sunt connexa inseparabiliter fides & opera, sed sola fides est, quæ apprehendit benedictionem, sine operibus: Et tamen nunquam est sola.* Decl: conc. p. 672. Et 673.

LII. (2.) Excludunt quicquid per modum meriti, vel sub ratione causæ instrumentalis, ex parte nostra concurrens, excogitari possit; & innuunt fidem esse unicam illud medium & instrumentum, quo gratiam Dei & meritum Christi in promissione Evangelij apprehendimus, nobisq; applicamus.

LIII. Ex quibus clarè perspicitur posterius, causas videlicet esse gravissimas, ob quas tanto studio particulas illas exclusivas in hoc negotio urgeamus, quarum hæc duæ sunt facile principes.

LIV. I. *Sacrarum Scripturarum autoritas.* Etsi enim phrasis hæc (*Sola fide justificamur*) totidem apicibus non inveniatur in Sacris literis, quod ad rem ipsam tamen evidentissimè ibi extat, quod probatur 1. *Ex operum ab actu justificationis remotione,* Eph: 2:8. Rom: 11:6. 2. *A particule exclusivæ assertione.* Nam sic argumentor: Aut justificamur ex solis operibus, aut ex sola fide; aut ex operibus & fide simul. Quartum dari hic non potest. At primum ne ipsi quidem Pontificij hodie concedunt. Tertium expresse negat Apostolus Romi 3: 24. Et Cap. 4, 5. Ubi notandū particulam exclusivam *Balehud, tantum credit in eum, qui justificat peccatores,* haberi in versione Syriaca. Verum igitur erit secundum. Adde quod ipsius Christi vox sit: *Noli timere, quia non*

*tantum crede*, Marc: 5. v. 36. Luc: 8. v. 50. 3. *Aphrasium* *Equipollentium* *adductione*. Quæ sunt *justificari* *gratis*, Rom: 3. 24. *Sine Lege*, Gal: 2. 21. *Sine Operibus*, Rom: 3. 28. *Est enim non nisi per fidem IESU CHRISTI*, Gal: 2. 16. Quæ verba in *Versione Italica Venetijs excusa*, ita redduntur: *Ma solo per la fide di GIESU CHRISTO*. Quæ est *rotunda par: Exclusivæ assertio*.

*LV. Posterior causa est summa rei necessitas*, Nam ut detestemur Pontificiorum de meritis bonorum operum perniciosissimum errorem, & ostendamus omnia opera propria eorumq; fiduciam, merita, dignitatem, dispositiones, vires proprias & nostras qualitates ab actu justificationis penitus excludenda esse. Et nullam prorsus aliam rem præter fidem, esse illud medium, & instrumentum, quo gratia DEI & meritum CHRISTI in promissime Evangelij apprehenditur, accipitur, nobisq; applicatur: ideo particulas has exclusivas tanto studio urgeamus. Nec dubium est quin & pia antiquitas ideò usa sit his particulis, ut sanam de Justificatione & modo consequendi æternam beatitudinem, doctrinam eò clarius exprimeret & proponeret. Sic Chrysostomus in 3. c. Rom: ait: *Potentia DEI justificavit sola fide absq; operibus*. Idem de fide & lege nat: inquit: *Latro tantum credidit & justificatus est*. Hilarius can. 8. in Matth. *Fides sola justificat*. Ambrosi: in C. 4. Epistolæ ad Rom. *Non opus est lege, quando impius per solam fidem justificatur*. Theophylactus in Cap. 3. ad Gal: *Fides sola habet in se justificandi virtutem*. Tanta itaq; hic est inter fidem & opera in actu justificationis pugna, ut simul consistere non possint,

*LVI. VII. Causa Finalis justificationis vel respectu DEI. vel respectu nostri consideratur. Respectu DEI finis est ipsius gloria, quam in negotio justificationis manifestat singulariter declarando justitiam & misericordiam, innuente Apostolo, Rom: 3. v. 24. 25. 26. Respectu nostri finis est, in hac quidem vita, pax & tranquillitas conscientiae, Rom: 5. 1. Justificati fide, pacem habemus apud Deum: In altera & futura vita, salus & beatitudo aeterna, Juxta illud Rom: 1. v. 16. Evangelium est potentia DEI ad salutem omni credenti. Et 2. Petr: 1. v. 9. Reportantes fructum fidei vestrae, salutem animarum.*

**Hic finem facimus,** *Διδασκων* argumentorum contrariorum Disputationis conflictui reservaturi: Gratias agentes D E O Patri, qui nos naturâ filios iræ adoptavit in filios gratiæ, mittendo Filium unigenitum, & largiendo fidem in ipsum. Fidem hanc ô Clementissimè D Eus in nobis confirmes, ut finem ejus, salutem animarum desideratissimam, cum omnibus beatissimis in Cælo consequamur, AMEN.



JONAS LAURENTII LACUSINIUS

*Per Anagrammas.*

IN JESU ANCORA SALUTIS; NIL VI.

**J**ustitia Effrænis Monachi, quæ se fore saluum  
Ostentat, nulla est; quippe salus opere,  
(In facie Domini, quod nil nisi menstrua, stercus,  
Putrida fexq; fimus,) nulla paratur ej;

Justitia aut CHRISTI nostra anchora sola salutis,  
Quam CHRISTUS nobis imputat ipse fide.

IN JESU nobis est ANCHORA firma SALUTIS,  
NIL VI nostra, ergo, perficimus miseri.

*Eunomia Miles, Musis notissime JONA,*  
*Eusebia ut Sophia es deliciosa Venus;*

*Confuta Monachum dextro sub Præside dextræ*  
*Justitia CHRISTI tu quoq; saluus eris.*

Humanitate, Eruditione ac pietate Politissimo  
Juveni, DN. JONÆ L. LACUSINIO,  
S. Reg. Maj.<sup>tit</sup> Stipendiario studiosissimo;  
Amico suo honorando, de *Justitia Fidej Th:*  
disputanti, ita inter occup. applaudebat

ABRAHAMUS Georgij THAUONIVS  
Phys. P. P.

Aliud.

**Q**uamtu hoc conducit meditari pectore fido  
Egregie nosti, doctè dum talia tractas.

Grator

*Grator & opto tuis adspirent Numina captis;  
Ut maneat tibi fama, salus & Gloria jadis!*

Singulari industriâ conspicuo DN. RESPON-  
DENTI, certissimæ Amicitix pignus  
Fraternè apposuit,

JACOBUS Joh: FORLADIUS Smolandus.

**T**hejologum variè scriptis vexata peramplis.

Et multum præstans est agitata fides.

Hoc opus, hic labor est, fidei quæ noscere origo,

Quid simul efficiat maxima ritè fides.

Sola Fides homines cœlesti maclat honore,

Sola Fides CHRISTI nos sociosq; creat.

Sola Fides nubes perrumpit & æthera scandit,

Sola Fides justos nos facit usq; DEO.

Hæc tu mente sapis mi Præstantissime JON A.

Differis egregiè, quid sit amanda Fides.

Porrò sic doctis perge invigilare Camœnis,

Exornans animum moribus ingenuis.

Undè tibi in terris magnos cumulabis honores.

Inq; polo fidei præmia magna feres.

*Præstantissimo & literatissimo Dño Respondenti  
amicitiam sic declarare voluit infucata.*

JOHANNES H. LILIUS  
Långelmä, Finlandus.

